

bono Rege Gallo uti potuisset ; sed tantum abfuit ut istae reipublicae commodaret, ut ad consilia nostra disiicienda in Belgiam et Navarram arma immiserit, pietatisque immemor, oppugnato Rhedio, Sacrosanctae Romanae Ecclesiae bellum nefarie indixerit. Ita depulsa pace, offensaque insuper sacrosancta Sede apostolica, cum ab antiquo pietatis nostrae studio aliorum avocemur, causa nostrâ cum Religionis causa conjuncta, Regem Gallum Religionis hostem hostem nostrum declaramus, bellumque eidem et nostro Sacrosanctae Romanae Ecclesiae nomine indicimus, neve alicui vacatione uti liceat, omnes nostros et sacri Romani Imperi faeudatarios ad arma nobiscum suscipienda vocamus ; insuperque edicimus, ut si qui forte ex his faeudatariis sunt, qui Regi Gallo obligentur, a declarato nostro et Religionis hoste quam primum discedant, in partesque nostrae

quam prope retranscant ; qui ex omnibus secus quam volumus fecerint, jam nunc a iure faeudi excidisse existimentur, Sacrique Romani Imperii rebelles habeantur. Haec est huiusmodi edicti summa, cuius monumentum ut perpetuum sit, has litteras manu nostra subscripsimus, consuetoque sigillo nostro Imperiali muniri iussimus.

Datum in Oppido nostro Antuerpiae :

Die XII. Mensis Julii. Anno a nativitate Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo primo, Regno- rumque nostrorum videlicet Electionis Sacri Imperii Anno Tertio, aliorum vero omnium Sexto.

CAROLUS.

De Mandato Caesaris. — G. Argillensis.
Registrata Ph. Nicola.